



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXVII. Henricvs II. LXI. Arch. XVI. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXXXVI. ARNOLDVS. LX. ARCH.

XV. ELECTOR.

Arnoldus nepos Theodorici ex gente Isenburgica, dum à Clericis eligitur, nobilitas & populus jungunt studia, ut Rudolphum de Ponte sibi Electorem præficient. Rudolphus itaque horum favore fretus, ut Pedum impetret, gladium arripit, summamque ædem arnis occupat: unde clades mutua. Cessit denique meritò Rudolphus, Arnoldo autem Innocentius IV. Pont. Româ Pallium ultro submisit. Hoc animatus favore Arnoldus Reipublicæ tam sacræ, quàm profanæ exornandæ strenuam dedit operam. Operam hanc tamen plurimum impedit Fridericus II. Imperator Pontificis, & Imperii Principum sententiâ exauthoratus, in cuius locum cum promovissent Henricum Hassiæ Landgravium, & hoc defuncto, Wilhelmum Hollandiæ Comitem, etiam Arnoldo variè pugnandum fuit cum Friderici, & Conradi filii partibus. Demum mortuo etiam Imperatore Wilhelmo, cum varia offerrentur munera Arnoldo, ut Richardum Anglum suo calculo eligeret Imperatorem, muneribus ad dominum suum redire iussis, Imperii Fascibus tanto minùs dignum aestimavit, quanto magis ambire etiam oblato auro quemquam intellexerat. Ab æquitate igitur maximopere laudatus in arce Thaborina an. 1259. æquissimum adiit Remuneratorem. Sed. an 17.

LXXXVII. HENRICVS II. LXI. ARCH.

XVI. ELECTOR.

Certantibus inter sese de Pede & Pallio Trevirensi, Arnoldo de Scleida & Henrico Bollandino, Henricus alter, Decanus scilicet Metensis utrumque præripuit, consecratis Archipræsul unà cum tribus aliis, nimirum Moguntino, Premensi & Magdeburgico Archiepiscopis. At cum maturè nimis Archiepis-

Q

CO-

copalia involâisset munia, haud exspectato Pontificis annutu, simulque Theodoricum ad D. Mathiæ Abbatem haud æquis vexâset modis, ab Urbano IV. Pont. anathemate confixus, à Clemente IV. Sede remotus, à Gregorio demum X. eidem est restitutus, post solutam auri multam abundè gravem. Ita castigâsse profuit multùm; Theodorico namque eo ex tempore amicitia certare, æ des sacras condere, exornare, urbes & arces comunire, multos plurimis beneficiis honorare in deliciis fuit: Kilburgi namque templum Deiparæ sacrum excitavit, Canonicis eum in locum aggregatis. Mailbergum Diœcesi suæ adjecit. Berencastellum nova arce communivit. Castrum Meginense funditus excitavit. Feudorum magnam partem nobilibus concessit. Confluentiæ Meinfeldiæque mœnia ab Arnolde cœpta absolvit. Verùm in tributis exigendis immodicus plurimorum adversus se linguas excavit, & mortem acerbam fortè accersivit: acutissimis enim vexatus morbis, ad Divorum opem confugisse est visus. Aut veriùs luit in tempore, ne lueret in æternitate, paratus & pati & dicere cum D. Præsule Hipponensi: *hic ure, hic seca, modò in æternum parcas.* Mortuus est an. 1286. Bononiæ. Sed. an. 25.

LXXXVIII. BOEMVNDVS. LXII. ARCH.

XVII. ELECTOR.

IN electione Clerici rursus in partes divisi, Warnesbergium de Dagstuel dictum, tandem elegerunt. Ex multis igitur eluctatus dissidiis, præclare rem pacis bellique administrare est aggressus, utinam meliori tempore, quàm quo Canonici summam deseruerunt ædem, quòd Nicolaus IV. Pontifex in suscipiendis Canonicis non magis stemmate nobiles, quàm doctrinâ & virtute eximios secerni & promoveri jussisset, si tamen hi nobiles literis, aut optatis Ecclesiæ donis superarent. Pontifex etiam ne fortiùs diceret, quàm faceret, in vacuas Canonicorum sedes immisit